Aude virtus generosam attollere mentem! Ama tui imaginem, qvocunq[ue] demum...

Lind, J.

F1700 Fol.Br.353

National Library of Sweden

LIND, J.

F1700
Fol. Br. 353

Före 1700
Verskgl.
(Br)
Utr. Ex. då
1693

[1693].

Sv. Saml.
Före 1700
Vers. kgl.
(1693)
Ulr. El. d. ä.

41.

KUNGL. BIBLIOTEKET STOCKHOLM

A * * *
Ude VIRTUS
Generoſam attollere mentem!
Ama Tui Imaginem,
Qvocunq; demum pectore Fulſerit:
Eſt ſua Fœmineo quoq Sexui dos decus & gloria,
Hinc Heroides etiam inter Heroas ſtatue.
Nihil novi nihil inſolens auſura es,
Cum & olim Virorum inter Tropæa Fœminæ emicuerint
Vittæ.
Sed facile locum inveniet

ULRICA
ELEONORA,

SVECIÆ GOTHIÆque REGINA Auguſtiſſima.
Cui qvam primum
Firmiores Anni Caſtiſſimâ genas purpurâ tinxerant,
Morumq; ſanctitate omnium admirationem
Excitaverant,
Virtutum Cultores omnes mirè ſuſpexerunt,
Principum decus REGUM gloria, Orbis delicium,

CAROLUS UNDECIMUS

REX SVEONUM GOTHORUMQUE
Auguſtiſſimus
Pijſſimam Cultiſſimamq; hanc Nympham,
Atavis REGIBUS prognatam Principem,
Magno conſtantiq; animo ambivit, &(ô felicem REGEM!)
Exambivit.
Fauſtiſſimis ergo Avibus
Sociarunt animos, ſociarunt thoros.
Luſtra plus minus duo cum dimidio, ſeu Zephyrus ſeuBoreas ſpiraret,
Fidi, ſinceri, concordes vixere.
Soli REGI nupſit beata noſtra REGINA,
Non Soli placuit:
Qvippe
Nihil virtute amabilius,
ET REGINA,
Ut virtuti totam devotam ſcias,
Obſervantia Majores, amore pares, benignitate inferiores;
Comitate omnes, fide, probitateq; proſeqvuta eſt.
Egenæ Turbæ (ſeu illa in publicam prorepens tremulo ore ſtipem
Poſceret, ſeu domi ingenuo pudore retenta auxiliatrices manus anxiè
Exſpectaret) benigniſſimè opitulata

Sui

KUNGL. BIBLIOTEKET STOCKHOLM

Sui ſexus Exemplum abſolutiſſimum
Audiebat.
Sed
O nimis quam brevis temporis felicitas!
(Veniendum nunc enim ad illa triſtia qvorum memoria
horret animus, calamusq; torpet)
Præpropera adrepens Mors
Cœleſtis animulæ Sacram ædiculam aggreſſa, brevi non hoſpitem ſed hoſtem egit,
Properata morte vires viroremq; artuum depopulans,
Et mox
Lumina ſuffoſſis retro fugere Cavernis,
Magnaq; lacteolis facta ruina genis.
Illa
Ceſſit ultro fatiſcenti ædificio,
Animamq; illibatam, Cœlo natam, deſtinatam ſedi ſuperum,
Nuperrimè Coccineo JESULI SERVATORIS ſangvine luſtratam cognato Cœlo
reddidit.
Triginta Sex, & paulo ultra, annos Vivendo
emenſa
Breve ſpatium, ſi annos computes, ſi Mariti REGIS, bonorumq;
omnium deſiderium metiaris breviſſimum.
Sed qvid Naturæ indignamur?
Vixit diu, quia vixit bene; poſthac inter Cœlites
& bene victura & perpetim.
Jam pono Calamum.

VALE

REGINA SVECIÆ Pia

Auguſtarum Principum Princeps,
REGUM proles, REGIS Conjunx, REGIS futuri Mater,
Ut piorum Civium ſpes & vota ſunt:

VALE

REGINA Sanctiſſima

Pauperum pridem ſolamen, Viduarum præſidium, Orphanorum columen
Adflictorum Aſylum, Patriæ univerſæ Mater
Nunc cœlitum Choro inſerta æternum Felix

VALE

Devotiſſimo & mœſtiſſimo animo
effudit

J. Lind.